



**BREVIS|| INSTRVCTIO|| AD CORROBORAN-||DOS AC
IVVANDOS MO-||RITVROS, EOS PRAESERTIM|| qui ob
flagitia sua, publica Iudi-||cum sententia morti ad-||dicti
sunt:||**

Isella, Francesco

Coloniae Agrippinae, 1588

VD16 I 344

Reverendis Et Magnificis Dominis, mihi observandis; Dominis &
Confratribus Societatis De misericordia B. Mariæ, dictæ de Sole, in vrbe
Lodiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60044](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60044)

REVERENDIS ET
MAGNIFICIS DOMINIS,
mihi obseruandis; Dominis & Con-
fratribus Societatis De misericordia
B. Mariæ, dictæ de Sole, in vr-
be Lodiensi.

IAM inde à primo die, quo me, licet in-
dignum, elegistis in patrem spiritualement,
in hoc totus incubui, vt aliquam animi
mei erga RR.VV. quibus tot nominibus de-
uinctus sum, significationem exhiberẽ. Qua-
re cum iam toto sexennio viderim, & ex-
pertus sim, inter alia exercitia spiritalia,
operaq; charitatis, sanctam & amore ple-
nam operam, quam incredibili cū cordis af-
fectu, nullarum molestiarum pertæsi, naua-
tis, in confortandis & cōsolandis miseris il-
lis, qui ob graua sua delicta à ministris iu-
stitiæ ad mortem damnatur; disponentes il-
los, & preparantes, ad vltimum supplicium
patienter & deuotè sustinendū: ego diuina
mihi assistente gratia, ex sacris Doctoribus,
& potissimum ex R. P. Polanco libellum
hunc compilauī, certas in eo tradens regulas
& admonitiones, vtiles ad proponendū istis
afflictis, vt bene moriantur. Addidi & bre-
uem instructionē bene viuendi, in vsum con-
fratrum nostrorū; qui enim ipsi nō viuunt be-
ne, difficulter possunt alijs persuadere, vt be-
ne moriantur.

A 2

Sed

Sed ne prolixior sum: cum libellum hunc in
lucem extrudere decreuissem, non potui exi-
guo hoc indicio celare, quod diu maiori mune-
re (si licuisset) manifestare volui, VV. scili-
cet RR. exiguam hanc meam opellam nuncu-
pando. Idque vel eò lubentiùs feci, quod pro-
prium vestrum officium est in hac palestra vos,
vel maxime, exercere. Accipe igitur pia &
venerabilis Societas exiguum hoc munus, eo
cum animi candore, quo ego vobis illud offe-
ro, & indefessa manu voluite atque reuolui-
te: spero enim fore, ut lectione illius animi
vestri magis magisque ad piùm hoc officium con-
tinuandum inflàmabuntur. Si quem fructum
legendo feceritis, date gloriam Deo: si secus,
imperfectiõni meae attribuite, & diuinam
Maiestatem orate, ut mihi largiatur eam perfe-
ctionem, quæ statui meo conuenit: ego vicif-
sim non intermittam eidem supplicare, ut vo-
bis det gratiam, quò possitis de die in diem, cre-
scere in operibus charitatis, ad honorem &
laudem illius, ad utilitatem proximi, & ad ve-
stram salutem: ut vos viuentes secundum hanc
regulam, & proximis vestris operibus, nec nõ
& ego vestris precibus adiutus, in diuinæ Ma-
iestatis gratia simul viuamus & moria-
mur: quod pro sua bonitate nobis conce-
dat Omnipotens. Ex vrbe Lodiën-
si 15. Sept. Ann. 1586.

RR. DD. vestris deditissimus confrater
Franciscus Mella.